

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Nicolaus Criechelius

Exercitatio Anti-Papistica De Modernis Romanae Ecclesiae Cardinalibus

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741205548>

Druck Freier  Zugang



R. u. Nov 1657.

Aristote, Johann / C

Kort. Crichel, Nicolaus



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn741205548/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741205548/phys_0002)

DFG

41.

Σὺν Θεῷ.
Exercitatio Anti-Papistica
DE
Modernis
Romanæ Ecclesiæ
CARDINALIBUS.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNE QUISTORPIO,
S.S. Theol. D. Prof. Publ. &

Eccles. Jacob.

Sustinebit

publicē

RESPONDENS

NICOLAUS CRIECHELIUS,
Wismariensis,

In Auditorio Magno, horis matutinis.


XXII. Januarij. Anno clo Ic^o LI.

as(O) so



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

1651





De Modernis Romanæ Ecclesiæ CARDINALIBUS.

§. 1.

Roma quæ quondam caput orbis erat, deserta à Constantino Magno, demum penitus ab Ostrogothis eversa est; postquam ultimus Occidentalis Cæsar Augustulus ibidem regnarat. Sed ope Romani Episcopi revaluit, & postliminiò primatum, auxilio Francorum, Constantinopolitanis interim otiosis, & hic oscitantibus, affectavit. Hinc tandem Summum Sacerdotium, Dictaturam & Plebis Tribunatum, tanquam Occidentalis Augustus approximavit sibi: Canones condidit: Jurisdictionem Cardinalibus & Episcopis commisit, velati qui in veteris Senatus Romani locum successissent: omnia exprimuntur Latina lingua, nomen Senatus retinetur, tum purpurea vestis, quò tota Reipublicæ Romanæ forma ad priorem statum florentem Romanorum reduceretur; hinc Episcopi velut Præsides suarum Provinciarum, huc illuc mittuntur, & Monachi uti Satellites sui, omne replent hoc solum Romanum, ne Incolæ exuant tyrannidem Ihesus Anti-Christi; quamè distributionem Clericorum Romanensium per Europam, Asiam, Africam & Orbem Novum, Papista Aubertus Miraus Bruxellensis in lib. de Stat. relig. Christianæ, exhibet.

§. 2. In hoc regno Papali, Pontifici Maximo proximi sunt, Cardinales, hodiè qui reliquis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis ac Ministris reliquis minoribus multum præfere volunt, ut experientia docet, & sicut id annotavit *Wilhelmus Ferdinandus ab Effelti in manus politie.* Quare etiam *Onuphrius lib. de Tit. Cardinal.* (qui secutus Pandulphum Pisanum in lib. de vit. Pontif.) Cardinalem eum esse dicit, reliquis qui præfert. Ita nempe ut qui primus est inter Episcopos, Cardinalis Episcopus nominetur; qui Princeps inter Presbyteros, sit Cardinalis Presbyter; item inter Diaconos primus, sit Cardinalis Diaconus; Erant enim plures Presbyteri in eadem Ecclesiâ, sed Præses tantum dicebatur Cardinalis; ut itidem sentit *Molinus de Monach. Temp. Pontif. cap. 3.*

A 2

pag'

pag. 37. Et Polyd. Vergil. de invent. verum l. 4. c. 9. Etiam CL. Salmasius
de prim. Papa, pag. ii. scribit: Sacerdotes Cardinales primi sunt & prin-
cipales Presbyteri, quos nō w̄t̄ḡs n̄c̄o B̄t̄ḡs & Il̄ḡw̄t̄n̄m̄d̄os Ḡt̄
yocitant. Cardinalis enim à cardine, idem quod præcipuum ac principalis in
cardine constitutus. Nam & cardorei, quid dicatur notum est, ita & Car-
dinale venti i. e. præcipui. Cardinales virtutes, inde & Diaconus Car-
inalis, pro primo Diacono. Ita etiam postea dici coeptus Archidiaco-
nus, quod omnibus Diaconis imperaret. Quantum autem Onuphrius
cum Asseclis à veritate recedat, apparet ex Antiquitate, ubi Episcopi non
Metropolitanani, vel qui alios sub se haud habent Episcopos tamē Cardi-
nales Episcopi indigentantur. Et si solum præcipui inter alios Cardinales
dicendi, male Episcopos Cardinales appellant, cum nullus Episcopus aliis
Episcopis præficiatur. Imò plures simul erant aliquando Cardinales in-
eodem Titulo. Imò ipse Bellarminus, lib. i. de memb. Eccles. M̄lit. cap. 16.
huic sententia Onuphrii contradicis.

§. 3. Leo Nonus fatetur Papam esse totius Ecclesia Cardinalem, & in-
dē ipsius Clericos titulum Cardinalatus obtinuisse, quia Cardini illi quo
cætera moventur proximiū adhærentes; de usdem videamus ipsum in
Epistolā ad Michaëlem & Leonem Acridamum Epist. i. cap. 3. & §. 32. Post
mille ac fermē viginti à passione Salvatoris nostri annos scripiā, ita
scribentem: sicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit ostium,
sic Petrus & sui successores liberū de omni Ecclesiā habent judicium, cum
nemo debeat eorum dimovere statum; (quia summa sedes à nomine
judicatur) unde Clericējus Cardinales dicuntur, Cardini utiq; illi quo
cætera moventur, viciniū adhaerentes. Siccine licet fingere quævis?

§. 4. Robertus Cardinalis Bellarminus à loco ad personas initio Titu-
lum Cardinalium translatum dicit, is lib. i. de Cler. cap. 16. (In quo ca-
pite sibi propositum habet Job. Calvinum lib. IV. Instit. c. 7. refutare.)
scribit; dictos fuisse Titulo Cardinales quasdam Ecclesiæ principales,
ubi conferebatur Baptisma; inde a. Presbyter, tali Ecclesiæ qui præter-
dictum fuisse Cardinalem Presbyterum; ab Ecclesiâ videlicet Cardinali
quam regebat, sic etiam postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales,
& inde Episcopi Cardinales sex illi, circumvicii (ut Ostiensis, Portuensis,
Sabinensis, Praenestinus, Tusulanus & Albanus) qui ad eligendū Pontificem
conveniebant, eidemq; Pontifici à consiliis erant, præter cæteros Chri-
stiani orbis Episcopos. Sanè Locus non facit Cardinales, notum siquidem
est

est in una eademq; Ecclesiâ, quosdam ex Clericis dici Cardinales & non Cardinales. Imò sic multi reperiabantur Episcopi Cardinales, qui non erant ex his sex, nihil itaq; valet Bellarmini effatum.

§. 5. Si dicam quod res est, quodq; probabilius apparet, dicti sunt olim ij Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales, (voce non Scripturæ sed Ecclesiæ; & quidem solum Occidentalis, nam in Græca ne nomen quidem hoc auditum fuit) qui alicui certæ Ecclesiæ Protochiali fuere allegati & incardinati; ita & Ecclesia illa fuit Cardinalis, stipata quoq; pluribus circa eam Cardinalibus, ut itaq; cardo fixus & immobilis, ac circa ipsum valvæ volventur, ita circa ipsos tanquam circa fixos Cardinales, volvebantur illius curæ fideles, in Regimine Ecclesiastico & Spirituali, ut habet *Glossa in C. ministerium de offic. Archipresbyt.* Sic olim Cardinalis nomen impositum eujuslibet Cathedralis sacerdotibus. Sed cum ejusmodi Cardinaliū ingens multitudo, undiq; Romam committantum, urbem impleret, tandem nomen Cardinalis ceteris ademptum est, & solis Romanensium Parociarum Presbyteris & Diaconis reservatum, ut habet *Rex Anglie. apud Molinaum de Monarch.* temp. cap. 3. p. 28. §. 5. Hinc patet, Adventitios & vagantes, qui pro Ordinario quandoq; rem sacram tractabant, vel qui tali Ecclesiæ solùm ad obtinendam Eleemosynam adhærebant, non Cardinales dictos fuisse.

§. 6. Hoc quod diximus. *Marc. Anton. de Dominu* varijs ex Antiquitate exemplis & rationibus it probatum lib. 4. de Republ. Eccles. cap. 5. §. 5. 6. 7. 8. &c. Quem quisquæ consulere poterit. *Gregorius identidem* Cardinalium & quidem nostro sensu, quem hic probamus metinuit, quod patet ex varijs ejus Epistolis Decretalibus, & dist. 71. can. 5. ubi ex prese Cardinalis sumitur pro proprio alicuius Ecclesiæ clero. & 21. q. 1. relatio decret. causa 21. q. 2. can. 6. & *Glossa. decreti causa 21. quaest. 1. can. 5.* Cardinalem i. e. proprium Episcopum. Stat itaq; adhuc sententia, quod tot sint Cardinales propriè dicti, quot sunt Ecclesiarum Collegiatarum fixi Episcopi & Presbyteri ac Diaconi: sic Cardinalatus nullam dignitatem vel Prałationem dese importat, ut alias voluit *Onuphrius*, sed Ordinarium Clericum, & in suâ Ecclesiâ suo Titulo stabilitum & insitum, notat, ubi quisq; propria Ecclesiastica munia administraret.

§. 7. Proprium veterum Romanorum Episcoporum, circa seculum æra Christi nonum munus erat, ut bis in messe, imò sapienter sacro sanctum Palatium in treuant, ibidein convenienter, si forte citius Ecclesiæ agonianti, vel querelis hominum medelam adhibere possent, ut commemorat

Cesar Baronius in Tom. 10. Ann. 162. num. 8. ex constitutione quapiam
Johannis octavi Papæ. Nihil itaq; absurdius eū Cardinalem dici velle, qui
nulli certe Ecclesia est alligatus, unde tamen nomen hoc venit; Et nullus Episcopus potest duabus præsidere Ecclesijs tanquam titulatis,
sed uni tanquam Commendatæ (sc: cui ad tempus cura committitur,
donec probus & pius Episcopus reperiri posset) alteri vero tanquam Titu-
latæ præesse valet, ut determinat decret. causa 21. in init. q. 2. Ne itaq;
plane infringatur regula, *Unum hominem non nisi uno sacerdotio potiri*
posse, decrevit Papa, ut Electi Romani Cardinales, non appellarentur Epi-
scopi, et si adhuc Episcopatibus suis fruerentur. Exempl. habes in Hippolyto,
qui simul varijs præfuit Episcopatibus; is erat Cardinalis Diaconus S. Lucæ
Romæ, & Archipresbyter S. Petri, & simul Episcopatum possedit Mediola-
nensem, Capuanum, Strigonensem, Agriensem, Mutinensem ac Ferratiensem,
sic hic unus tot Episcopatibus, 100 etiam miliaribus à se invicem di-
stantibus, præfuit; hoccine est abominandum? Quid etiam nunc fieri ijs
qui Romā procul absunt, nec ibidem sacra tractant, tamen S. R. E.
Cardinales appellantur, qualis adhuc hodiè floret in Galliâ *Julius*
Mazarinus successor *Rislij* *Cardinali*, & alij quām plurimi, hi equidem
non sunt nisi æquivocè Cardinales Romani; Qui in majori copiâ recen-
sita enuclare velit, *Marcum Anton.* *de Dominis* *Archibishopum Spalati-*
num aedat; qui post ad Protestantium classem transiit, & scripsit libros
X. de Repub. Ecclesiasticâ. Sed cum Cantabriens̄ & alij in Anglia Ma-
gnates, illum ibi nō eo loco haberent, quo æstimari oportebat, instigante
quodam legato Hispano; & plus nimium fidens suo veteri congerroni
Urbano VIII. Romam rediit; in arresto detentus obdormivit, & mor-
tuus combustus est Anno 1622.

S. 8. Quod Cardinalitæ elationis occasionem attinet; civitatis Ro-
manæ eminentia, prout Episcopo Romano, ita quoq; ejusdem Clero,
semper accommodata fuit occasio se nimium quantum efferendi, sic
senzim unā cum suo capite creverunt Romani Clerici, donec ad hoc
digitationis fastigium evecti fuerunt, de quo nimio Romanorum Diaconi-
orum fastu suo tempore Hieronymus & Augustinus conqueruntur, eum
dicit Hieronymus in Epistola 85. eccl. ollam ardenter, Senatum Pharisœo-
rum, & imperii factionem.

S. 9. Nunc in tantum eorum arrogantia incruduit, ut soli Romani per
Excellentiam velint vocari Cardinales; & ne quidem Romæ omnes, sed
certi exempti & deputati ad hanc præminentiam; Et etiam hanc dignita-
tem.

tew ljs facile larguntur illi qui Pontifice indigent, quia per hos aditum
ad illorum caput habent, nam obesse hi potissimum plurimum & pro-
dese hominibus, Ecclesia Romana addictis possunt, si velint. Cardinales
dicuntur diciq; volunt, at parum sacra tractant, hinc potius Reguli
essent dicendi, quibus etiam Bellarminus ipse Cardinalis, in suo scripto
contra Britanniae Regem aliquoties æquiparavit. Quod tamē non æqui-
tati, sed potius alicui necessitati (qua legem frangere solet,) vel impru-
dentiæ, aut timidâ religione percussis imputandum erat: audi ipsum
Regem apud Molinaum lib. cit. cap. 3. sribentem: Cardinalatus cum sic
nihil aliud quam nova Paparum institutio, quam in immensum excrescere
decessorum Regum nostrorum in quam, qui his aliquot seculis rem Christia-
nam rexerunt, mollis & ad omnia Pontifici connivens lenitas, permisit. N-
bil dicerem, si ageretur de gradu pastorū, quem obtinet in Ecclesia circ' A
Spiritualia, sed in rebus terrenis, Bellarminus eos Principibus preponit. Imò
quod ad hoc majus est, ne quidem Cardinales stare jubentur ad equi
Papalis frena, nec tronum Papalem in humeros elevate, quod spectare
ad Cæsarem & Reges scribit Bellarminus lib. Sac. cæmon. sect. 2. cap. 3.
Qui velit ordinem scire, quem Clerici & Seculares mutuo servent, is ad-
eat lib. i. Cæmon. section. 3. & ibidem luculenter offendet, Cardinales
Romanos nunc Regibus non solum conferri, sed & præferri multum.

§. 10. Ohm non erat sic, ibi enim si ab initio in tantâ dignitate Car-
dinale Romanî fuissent constituti, nonquam relicta Romana residentia
ad Monachorum ordinem se contulissent, quod tamen de Richardo
Masiliensi, & Desiderio Cosinensi Abate Gregorij septimi, Registrum
confiterut lib. 9. Epist. 11. imo aliquot vicibus in Conciliis Episcopus non
Cardinalis Cardinali Presbytero Romano præpositus est. Nova plane
sunt hæc omnia, de quibus nihil purior Ecclesia veterum scivit, nihilq;
ideò Justinianus Imperator in suis Decretis de Clericis & Ecclesiasticis
personis cavisse, testatur Conradus Rittershusius in Novell: parte primâ,
cap. 7. num. 14. Etdem sec. XI. ut historici annotant, Cardinalium
nomen in usu, seu (ut Balau ex Johanne Baonthorpio refert) in precio
haberi cœpisse; commemorant Centuriatores Cent. XI. 6, 7. pag. 314.

§. 11. Bellarminus modernis Cardinalibus sequentia peculiaria destinati
officia sit: quod se habent cōmune cū Episcopis & Presbyteris & Diaconis,
siquidem cuncti Cardinales, aut Episcopale aut Presbyterale aut Dia-
conale officiū simul habent. Et jam Sub Diaconū aliquem Johannem, Cardi-
nalem dictum suisse, ex Baronio ad annum 963. num. 22. patet. Porro
hunc

horum officium est Pontificem ut eligant; demum ut huic perpetuo
adistant, inq, regimine universæ Ecclesiæ consilio adsit.

S. 12. *Bellarminus*, quando comparationem instituit Cardinalium,
cum Episcopis, concedit quoad ordinis potestatem & jurisdictionem in
propriam Ecclesiam i. e. Episcopi in suam diœcesin, maiorem & præ-
stantiorem esse Episcopum non Cardinalem, Presbytero vel Diacono
Cardinali. Si ita? Unde Ergo tantum sibi venditant Cardinales, qui
nudos Episcopos vili loco habent, ut eos inter suos servos nuncupent?
Culpandus quoq; hic erit Papa, qui Cardinales Filios suos dilectos coram
stantes audir, at Episcopos Fratres suos, non nisi ad oscula pedum suorum
prosternatos, admittit.

S. 13. Regerit *Robertus dicto cap. 16. de Cleric.* In regimine Ecclesiæ
universalis, major est Cardinalis Presbyter vel Diaconus Episcopo non
Cardinali, (Nam Episcopi simplices nunquam adhibentur ad regimen
universæ Ecclesiæ, nisi rarissime. I. e. cum ad generale Concilium adyo-
cantur) at Cardinales ferè quotidie adsunt Pontifici, & de rebus ma-
ximi momenti in Consistorio Romano consilia conferunt. Sed quic-
quid hic oggerat; Papa sane ex longinqua permissione & constitutione
non est nisi Romanus Episcopus Metropolitanus, & inter Patriarchas pri-
mus; hoc concessio, Cardinalitia dignitas, quæ dicitur Universam repra-
sentare Ecclesiam, tota concidet. Et nunquam probabunt quandam
vel ante tempora Phocæ patricidæ Mauritiij Cæsaris, Romanum Episco-
pum fuisse Oecumenicum, tum quoq; stipatum fuisse hujusmodi Consi-
liarii Oecumenici. Concedimus Romanam Ecclesiam jam diu Sena-
tum Ecclesiasticum se proprium Clerum habuisse, sed non talem tantaque
pollentem autoritatem, ut nunc iniq; existimari vult; qui ut Duces à Cæsari-
bus ita ipsi à Papa Cardinales creantur, sua dominationi ut adistant. Car-
dinales Presbyteri Romani olim, concesserunt Episcopis præcedentiam,
& nunc ambabus uelis Episcopus abdicato Episcopatu suo, recipit Pres-
byteratum si Diaconatum, si saltē & Cardinalitio posset gaudere titu-
lo; nil curantes Concilium Chalcedonense, quod eos pro sacrilegio ha-
bet, qui abdicato Episcopatu ad Presbyteratum transeant: Quo tamen
hodie nihil Romæ est usitatus. Idem quod dixi, prohibitum quoq; est in
Concil. Constantinopolitano VI. c. 7. ne Diaconi sedeant loco honora-
tiori, quam Presbyteri; etiam in Aquitanensi synodo sub Ludov. Pio
sub pena abrogationis cautum fuit, ne Diaconi in medio Presbytero-
rum sedeant; at quid hac ad modernam Romanam hierarchiam, non cu-
rac.

eat amplius talia Romana aula, mutat quadrata rotundis Concilia pro arbitrio figit & refigit. Insuper Bellarminus, quid aliud agit, quam quod se ipsum proprio jugulet gladio, dum scribit: Fator olim Episcopos quoscunq; prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis, imo etiam Cardinalatum gradum fuisse ad Episcopatum, ut quoq; Onuphrius rede docet in lib. de Cardinal. & aperte colligitur ex lib. i. cap 7. vita S. Gregorij. Hæc Bellarm. Quid E. cum tantisq; novitatibus heri natis obtinebunt? reddant potius singulis quod debent, & vicissim Diaconi & Presbyteri Romani subordinentur Episcopis, ut fuit primitus usitatum. Et ad evitandam maiorem absurditatem Episcopus s. Archiepiscopus, retento suo Episcopatu Cardinalis Diaconus creatus, dicitur Eleatus Episcopus, & Cardinalis Presbyter Administrator perpetuus sui Episcopatus. Hæc sunt artificia à Papis Avinione inventa.

§. 14. Hic tandem Bellarminus vietas tenet porrigere manus, & cum hoc modo haud obtinere potuit quod volebat, alia id aggredendum duxit via. Præminentiam tandem ex sola Electione Papæ derivare conatur. Nam quamdiu adhuc Cæsares Clerus & populus eligebant Papam, non tantæ auctoritatis Cardinales esse potuerunt, quam post factum est, cū ad illos solum spectavit electio: hæc illæ. Quod testatur quoq; Pet. Damiani Cardinalium Princeps, apud Baron. Annal. T. II. An. 1061, Cadaloum Compellans. Quid tibi de Cardinalibus videtur? qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter elegant &c. Et per consequens ipsis solis adiutor ad Papalem dignitatem patet, juxta Decreti part. I. dist. 79. can. 3. & 4. Sed quæ hinc sequela. Sacre pluralitas vel paucitas Electorum Papæ, nullam confert dignitatem in se spectatam, (quis dicet multum, nunc decessisse auctoritati Electorum, quia in superis Recessibus imperi unus superadditus adhuc fuit Septem viris.)

§. 15. Et adhuc prius probare debebat, quo jure ad illos solum spectet Papæ electio: Novum plane hoc est, & ad arrogantiam Papisticam spectans opus: aliter quondam siebat, ut appareat ex Euseb. l. VI. histor. cap. 29. & ex Cypriano lib. 3. Epist. ep. 13, more recepto, Cornelium Dei judicio, cleri ac plebis suffragio Episcopum ordinatum fuisse. Item Platinam in vita Gregorij primi. Nunc non priscum illum tenorem observant Papicolæ, in seculo XI. demum sub Nieol. in Lateranensi Concil. de Papæ electione editum aliud decetum, quod ita habet: Ut obente Romana Ecclesia Universalu Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligenter simul de electione trattarent, ipsi deinde ceteros Cardinales addibere.

adhiberent, sive reliquias Clericis & Populus ad consensum novae electionis
accederet. Juxta Gratianus distinc. 23, c. 1. In nomine Domini. Item Tom.
3. Concil. part. 2, pag. 1666, edit. Binij, additur tamen adhuc in eadem
distinctione paulo post haec limitatio, salvo debito honore & reverentia
dilecti filii nostri Henrici, qui in presentiarum rex habetur, & futurum impera-
tor. Donec tandem planè Cæsar & populus Romanus exclusi à Pontificis
electione (quod putat Onupbrius Anno 1072, sub Gregorio VII. conti-
guisse,) & ad solos Cardinales res devoluta esset; juxta Johannem Ba-
conthorp. in prologo 4. sentent quæst. 10. Nam major est dignitas, inquit,
legi, qua regitur Sp. sancto, quam legi seculari. multa huc spectantia
notavit accurate, ut solet Jacobus Usserius Theologus Dubliniensis in tract.
De Christianarum Ecclesiarum successione. Et statu in fin: c. 4. Bellarm. de Cler.
l. 1. c. 9. observavit, ab Anno 1179 in usu fuisse, ut Cardinales eligerent
Papam. Et ad hujusmodi electionem omnia tendunt, quæ in decreto
Gratiani dist. 79. statuuntur, Circa An. 1272. Gregorius X. (ut refert
Mare hist.) in Conc. Lugdunensi decerni curavit, ad Pontificis electionem
maturandam in posterum, ut Cardinales in conclave mitterentur, neque
inde exeundi, bibendi aut comedendi facultas eis concederetur, donec
convenirent in electione Sexti decretal. lib. 1. tit. VI. cap. 4. Itaq; est
basilica Romæ in monte Vaticano, in cuius conclavi subducuntur Car-
dinales nec inde exeunt, priusquam sint concordes in electione novi
Hierarchæ Romani, quem Papam appellant, nomine quo olim omnes
Episcopi vocabantur, unde hodie sacerdotem vocamus Pfaff. Huc sane
spectat Wiceliffi. - u. artit. 40. in Conc. Constant. sess 8. Eleccio Papa
& Cardinalibus per Diabolum est introducta. Sic tandem post solutum sa-
tanam, ut est C. 20. Apocalypses, ipsis Antichristi temporibus, adempta
est justis possessoribus a temporibus Apostolorum, Constantini M.
Exarcharum, & primorum Regum Franciæ diu usurpata electio & con-
firmatio, & contra Patrum canones & Ecclesiæ primitivæ usum constituti
sunt peculiares Purpurati Patres, sedis Apostolicæ novi electores; quod
itaq; aliquis per malas acquisivit artes & iniuste possidet, inde praemi-
nentiam & laudem mercari haud potest; stramineum itaq; est hoc Bel-
larmino argumentum.

S. 16. Sed pergit; antea neque soli, nee primarij Pontificis consiliarij
fuerunt, ut nunc, nam sicut cardine regitur ostium, ita Ecclesia eorum
bono consilio, juxta Glossam ad sexti decretal. lib. 1. tit. 6. cap. 4. siquidem
primis

primis sexientis vel octingentis annis summi Pontifices ad graviora negotia Ecclesiae dijudicanda, cogebant concilia nationalia Episcoporum Italæ, quibus Concilijs intererant quidem Cardinales Presbyteri sed tamen primus locus Episcoporum erat. Hic se prodit ut sorex, dicit, demum istos consiliarios factos non seculis prius sed octavo, quo tempore jam Papæ potestas nimium incruduerat, ita ut quiret, veluti Gorgonis caput quavis in truncos & lapides convertere, quid ni tum quoque potuisset tantam suis consiliariis præcellentiam dono dare? Et sciant, id merito censeri novum, cuius institutio Christi & Apostolorum temporibus est posterior; id vero omne novissimum, quod post Satanæ solutionem in Ecclesiam est introductum. Et dicite, cum ideo aliquis, quia alicui est à Consiliis, præferri debeat illi, qui certa dignitate & propria ordinaria pollet potestate; hoc verum est de Episcopo qui propriam habet de jure divino & primariam potestatem, & non sunt ullius adjutores vicarij aut locum tenentes, nisi Christi, Illud de Cardinali cuius solo consilio & non suffragio sit deliberatio. Et dolendum sane, quod nunc Romana curia, solum sibi vendicet decisionem ultimatum quarumvis controversiarum, ut nunc usus generalium conciliorum evanescat plane, & Papa cum suis electoribus illas vices expleant. Hinc peditentim pl. monstra Ecclesiaz obtruserunt. Et esto quod opus habeat Consiliariis Pontifex, tum longe majori jure Canonici Lateranenses illi debebant esse à consiliis, non alijs, ut scribit Cæs. Barovius. T. II.

An. 1078. n. II.

§. 17. Unum insuper addit: crevisse horum Consiliariorum auctoritatem, propter principatum temporalem Papæ, tempore Pipini & Caroli M. Recte hoc monet Robertus, hinc enim patet, quo loco Romæ sacra habeantur, cum propter temporalia Cardinales consiliarij constituti sint. Et quantum quidem ab hisce temporibus in actis Conciliorum papalium in venire potuerint, potissimum animadvertis in curia Romana & alijs conuenticulis consilia agitata fuisse de rebus Secularibus de uniendis, & irritandis Regibus, de bello Turcæ inferendo, de recuperanda Terra sancta; negotium Religionis Christianæ vix obiter tractant. Et ita luxuria ac superbia Röman occupare cœpi: intro spicite saltem Platinam in Stephan. III. Gregorio, IV. Et quis affirmabit, propter hæc secularia & profana constitutos consiliarios, Episcopis præponi oportere. Sic Romana Ecclesia nunc multum differt ab illa veteri, nunc prope nihil habent veri & legitimi in Ecclesia munericis,

muneris, fucum duntaxt & inanem larvam retinent: imo quando o-
mnia habent penitus contraria, necesse fuit illis evenire quod tam sæpe
scribit Gregorius. l. 4. Epist. 25. & 55. Flens dico, gemens denuntio: quia quum
sacerdotali ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare non poterit. pl. Job.
Calvinus instit. l. 4. c. 7. in fin. Et ita Ecclesia Romana in curiam versa-
est secularem.

§. 18. Bellarminus prudentior, non ausus fuit Cardinalium originem
ex S. Scriptura probare, quia sciebat hinc illis nullum præsidium fore,
tamea quid non ausi sunt invercundi quidam, qui cum Ecclesie in En-
chirid. locorum cap. de Cardinal. dicunt, omnes LXXII. discipulos Christi
Cardinales fuisse. Alij, ipsos Apostolos Cardinalium munere functos esse
putant, ut Barbat. in d. 1. quest. Basilica, num. 20. & 29. Isodor. Moscon. de
Majest. milit. eccl. lib. 1. part. 1. c. 5. pag. 105. Etiam Cardinales Apo-
stolorum successores esse, contendit Johannes de Turre Cremata de Eccles.
l. 1. c. 80. item Pet. de Aliaco de Eccles. & Cardinal. auctoritate part. 1. c.
1. operum Job. Gerson. edit. paris. An. 1606. col. 899 hic ita scribit: Apostoli Petri
tanquam papale officium gerenti, assistebant, tanquam Cardinalatus mi-
nister in exercentes. De quorum Cardinalatu spiritualiter intelligi posse
illud propheticum, sam. 2. 8. Dominis sunt cardines terra & posuit super eos
orbem: ex quo loco Andreas Siculus & Iustus in Comment. De præstant. Car-
dinatum. Sic subsumit: Quemadmodum ostium regatur a Cardine ita
& hodie Ecclesia Concilio Cardinalium. Ita solemus à baculo ad angu-
lum argumentari, & reor nunquam tale quid somniatum esse ab Anna
quæ inibi loquitur. alij cum 7. Candelabris & 7. oculis Zachar. c. 3. eos
conferunt: si vana collatio hic juvat, quare Cardinales non conferunt
eum septi colli dracone Apocalyptic, & sic illis exempla non deessent.
At quælo ubi tunc temporis Ecclesiæ parochiales Religiosi occuparunt,
unde illis & non aliunde Cardinalatus competere potuisset: sed mitto
cum ipso Bellarmino hic me macerare, tutius ipse fecit, qui ab ultima
antiquitate suam Cardinalitatem emendentiam repetit: sed post evolutos
mille demum consules i. e. post emissum è carcere suo Satanam. Sufficit
mihi Wiceliffi propositio, (licet à factione Pontificia in Constantinensi
concilio damnata) quam tamen quidam in eodem Concilio
resuscitarunt, (quod Pet. de Aliaco Cameracensis Cardinalis in lib. de
Reform. Eccles. tacere non potuit) qui statum Cardinalium urpote inuti-
lem & damnosum nec ab Apostolis vel Concilijs institutum, & sine causa
rationa-

rationabili usurpatum, tanquam onerosum Ecclesiae, extirpandum esse dixerunt. Et nihil hac probatione magis ridiculum visum fuit Polydorus *Vergilio de invent. Rerum.* l. 4. c. 9.

§. 19. Instarent forte, si Cardinales ut Episcopi Presbyteri & Diaconi considerentur, à Christo ipso erunt instituti; Sed sermone non est de Cardinalibus quā Episcopi vel presbyteri, sed quā sunt Cardinales.

§. 20. Volateranus lib. 22. notat, Cardinales pileo Roseo ut uterentur, & equo veherentur, concessisse Innocentium IV. circa An. 1250. uti & Pamelius notat ad Epistolam Cornelij 45. C inter Epp. Cyprian. vid. Meur. Glos. Paulus secundum juxta Platianam, capit. tegumenta russata jis-dew obtulisse; Et cum his facio lubentius quam cum illis, qui fingunt Christi ad exemplum jam ab initio Cardinales purpureis togis & pileis incedere, quia Christus sanguine madidus rubuit. Et quia Jesus asino insidens Hierosolimam in troiti, Cardinales mulis inequitare capiisse. Qualem tamen rationem equitandi Celestinus V. mandavit, ut habet Langius in Chron. Citizeni AB. 1294.

§. 21. Porro si eminentiam ex Præscriptione probare velint ut Aliliacu de Eccles. auctore. part. 1. c. 2. facit. Resp. recte M. Ant. de Dominicis Præscriptione in rebus divinis ut in humanis locum non habet, ubi præsertim vis & dolus juvat præscriptionem; ut solent Pontificij multa introducere nova, & cum anathemate stabilita. Et si præscriptione sola procedunt, jus verum non habent: quia ubi iura non suppetunt, præscriptionibus haud utimur, & contra præscriptionem rursus præscribi potest.

§. 22. Sed ut dicam quod res est. Procedente tempore abusus obtinuit, ut omnes Diaconi Presbyteri; Romani Episcopi, sed solidice- rentur Cardinales per excellentiam dignitatis, ut ipse urbis Episcopus Papae nomen sibi tanquam proprium vindicavit, quod olim omnibus Episcopis dabatur. Hæc origo Collegij Cardinalium, qui novum nunc ordinem in Ecclesia constituerunt, supra omnes ordines sese effe- rentem Ecclesiasticos. Hæc Salmasius, qui tractatum speciale de Car- dinalibus adornavit, quem tamen nondum publici juris fecit. Quare in Basili. Concil. seß. 23. statutum, ut numerus Cardinalium deinceps sit moderatus, non pluris XXIV. ne superflua numerositate vilescant. At nunc aliter fit, Leo X. una die creavit triginta octo. Imo Cardinalium semper nunc Romæ ad minimum sunt 40. interdum LXX. plus minusve,

juxta Pontificis arbitrium & creationem, imo Onuphrius recenset sec:
XII. ferè quadringentos Cardinales à Romanis Pontificibus creator
esse; 63. fuerunt quando Onuphrius vixit Anno. 1557. Et tamen non
dum in tanta copia vilescere imo annihilati cæperunt. Debebant eligi
ex omnibus Christianitatis regionibus (si fieri posset) ut facilius notitiam
rerum in Ecclesia emergentium haberi & super his maturius deliberatio
institui posset. Nonne hæc tenduit ad Monarchiam Papæ? sive
scientia & experientia prædicti, non minores triginta annis, inter quos
quidam esse poterunt filii, fratres aut nepotes Regum; in quibus cum
circumspetione & maturitate morum competens literatura sufficit.
Quo quid argutius! Non fiant Cardinales nepotes ex fratribus vel so-
rore Romani Pontificis aut alicujus Cardinalis viventis, non illegitime
nati, non corpore vitiatæ, nec alicujus criminis aut infamiae nota ad-
spersi. Utinam hæc adhuc Romæ vigerent. Hodierius Pampilio s. In-
nocentius non sinit se adstringi his Basiliensibus decretis. Etiam vo-
luerunt, ut Cardinalium electione fiat, facto prius vero scrutinio, &
per subscriptionem majoris partis Cardinalium, deinde etiam Aposto-
stolicæ literæ cum subscriptione Cardinalium conficiantur. At quot
nunc Papa & Dom. Olympia sine suffragio consistorij Romani eligunt
ignavos Purpuratos patres! Papæ deinceps Cardinalium Creationem
sibi liberam esse voluerunt, ut eam in Consistorio quidem faciant, sed
non cum Consistorio: juxta certam tenentur jurare formulam, que l. i.
sac. Ceremoniarum scđt. 8. c. 12. recensetur, sed omnes per juri facti sunt.
Demum præscribuntur ijsdem mores, & quid illis in Ecclesia competit
quomodo papam exorbitantem in ordinem reducere teneantur; sed
malum mago quid præstat; ipsi peccant, hinc & lascivientem Pontificem
haud reprimunt. Quod præter Robertum Lincolnensem in Anglia tempora
Innocentij IV. vix quenquam fecisse persuasus sum. In vestitu luxuriare
quoq; non jubentur, sed experientia luculenter contrarium docet.
Hieron. lib. 8. in Ezech. in proem. ingeminat: Proch dolor vile palliolum
flagrante jam clericali avaritia, adhuc tamen erat proprium Clericorum
indumentum, nunc autem tandem ad purpuram deventum est, quæ
regij decoris est insigne; hæc hodierni Cardinales floccifaciunt. Mor-
onayus de Missâ lib. 2. c. 8. ñ pag. 620. accurate ostendit ex antiquitate, quo-
modo paulatim Clerici ad illam luxuriam in vestitu devenerint. Et quod
in Narbonensi aliqua Synodo rotunde apud Baron. T. 8. A. 598. l. 32. con-
stitutum

stitutum fuit, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea induat. Baro-
nius tamen licet hæc ipse citet, cum sciat ex Exod. 28. 39. quod sacerdos
V. T. vestem coccinam habuerit, majori jure putat talet competere
quoq; Clericis Novi pacti, cum major sit gloria sacerdotij Christi quam
Aaronitici. Siccine gloria Evangelij Christi consistit in externo & car-
nali splendore ac vestitu? putaram spiritualem Christi sacerdotii gloriam
à Prophetis prædictam fuisse. Sed ita hic adimpletur, quod *Johannes in*
Apocalypsi c. VI. prælagiebat: *Vidi ego mulierem iuidentem bestia coccinea*
plena nominibus blasphemia Et. Erat autem Mulier illa amicta purpura
& cocco. Huicq; per omnia responderent, ut Balau loquitur.

S. 23. Sed videor forte eis injuriā facere, quid n. purpurā jure
uti quæant cum Regibus sint æquales, qui coccineis merito utuntur.
Nam isti sunt, si credendum Romanæ sedis parasitis: Majestas Reipubl.
Christianæ; vicem gerentes Apostolorum; Orbis Cardines; Ecclesiæ
columnæ, capita, lumina; Lucernæ ardentes; Stellæ fixæ in cœlo; Patres
conscripti in diadematæ principis; Divi, Venerabiles, Reverendissimi
Religiosissimi, splendissimi, illustres, super illustres, illustrissimi; item
maximi, potentissimi; seniores populi, Patrii maximi, Reges deniq; uti
talem ferruginem titulorum ex aliquot dedicationibus illis factis, collegi.
nā Sixtus V. Constit. 50. de creatione Cardinalium, Cardinalatus celitudo
ac splendorem dignitati Regiæ comparavit. idem attentavit Bellarminus
in dispus. *Apologetica contra Regem Britanniae*, ubi alicui Carulo hæc præ-
missa inscriptio, de Comparatione Regis & Cardinalis. Videte quo tandem
hæc se esset bestia Babylonica, Pbi Petre, pbi Paule Regibus æquiparan-
tur, cum tamen notum sit quantum distet pilius à diadematæ Regali, &
quantum intersit inter Servum servi servorum, & Dominum tot populo-
rum, ut eleganter Molinae sonat, donec ergo stolide Canonistæ per gl.
in c, ad Apostolicæ, in verbo Cardinales & prosp. Farinac. de erim. Ies.
Majest. q. 112 n. 100. asseverant, qui Cardinalem offenderit, licet sit impe-
rator, crimen læsa majestatis commisisse dicitur?

Bernhardus omnium optime exprimit de *Confid. l. 4. c. 4.* quid ve-
ros Cardinales deceat; moderni autem dis 2½. πρωτῶν priscis discrepant.
jam saltem nummati, qui care rubrum galorum coemere poterunt illos
honores appetunt. Papa Cardinalem à se creatum donat annulo: Cardi-
nalis moriturus vicisim legat Papæ pro hoc munusculo quingentos du-
catos, Non tanti vendunt annulos suos Aurifices Rostochienses, imo
milites

milites deposita toga Cardinales: creantur. Et quomodo propter stupra
multi ad Cardinalium dignitatem venerint, recenset Auctor Alvearij qui
est Philippus von Marnix/ Herr von Berg sanc: Alderonde. part. 6. c. 4. pag.
249. nam Romæ omnia adhuc sunt venalia, ut olim tempore Alexandri
VI. de quo hoc decantatum:

Vendidit Alexander sacramenta, altaria, Christum:

Emerat ille prius, vendere jure posse.

Et quid ni tanto pretio emerent Cardinalatum: cum vicissim illi-
dem ex certis provisionibus velia. S. B. Provisionatis solvantur quotan-
nis coronati 1320. quibusdam plus & alijs minus, ex quibus redditibus olim
alebantur viduæ multæ & pauperes, quorum tandem alimenta in luxum
Cardinaliū & curiæ Romanæ transierunt. Sic adeò pinguis est panis Chri-
stii, cujus dulcedo juxta probos ac improbos allicit; & ut illi bono modo,
sita hi malo ad eam degustandam non raro aspirant, ut vere Polydorus.
Hæc camera Pontificis mari haud dissimilis est, in quod intrant omnia
flumina, & non inundant juxta effatum Aulici Romani Theodoric. à Niem.
in Nemor. union. tractat. b. c. 37. Hoc & uberrimos redditus probat firmi-
ter. Reinold. in colloq. cum Harto. c. 7. à pag. 612. Eneas Sylvius Ep. 66.
Nihil est, inquit, quod absq; argento Romana curia dederat, ipsa manuum im-
positio, & sp. sancti dona venduntur: nec peccatorum venia, nisi nummatu
impeditur, quare recte cecinit Mantuanus de Calam. temp.

— Venalia nobis

Templa, sacerdotes, Alteria, sacra, corona;

Ignes, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;

Multa de hac Romanæ curiæ avaritia habet M. Ant. de Dominis;
de Rep. Ecol. lib. IX

S. 25. Regum fratres vel filii live agnati Cardinalis titulo hodie in
signiri cupiunt; non ut sint Clerici, i. e. extra sortem populorum, ut di-
vinis incumbant muneribus, tanquam ministri Christi, ad docendum,
sacramenta dispensanda, & ad Christo animas lucrandas. Sed quia Re-
gnum aliumve Ducatum hereditario jure haud impetrare possunt, pri-
mogenito fratre illum intercipiente; quem itaq; Principatum terre-
num sibi in seculo non promittere poterant, promittunt sibi
in Ecclesia, dum ad Papatum adspirant sic tamen ut emineant: Et deme-
xerras Papæ, regimen seculare, regalia, provincias, quibus tempo-
raliter

raliter dominatur, non tot Nobiles ac Principes clericarum Episcopi Romani ambient; si tam divitem doteu nostræ quoq; Ecclesiæ Clericis solvere possent, haberent etiam illustres Procos.

S. 26. Cui hæc nota sunt, facilis negotio de statu modernæ Ecclesiæ Romanæ, & quid Romæ fiat judicare poterit: Is mecum fatebitur Papam non amplius Ecclesiasticis sed potius secularibus implicatus esse machinationibus; Si quæ sunt sacra perficienda, illa Cardinalibus ocio cupidis & ἀγαλφαβήτοις committuntur; qui libidinibus dediti, quod per varia exempla Magdeburg. ex propria Pontificiorum confessione, in Centuriis suis Cent. XII. c. 7. pag. 1076. probant; hinc ad suos quos habent Secretarios res maximi momenti devolvunt, & ut hi rem referunt in Consistorio Romano, ita ferunt sententiam. Ubi vero aurum tarde fluit, negotium hæret, atq; ex ea parte justitia, ex qua magis auri pondus, propenderet, ut Archi-Epis. Spalatinus, (quem hic magni facio.) observavit. Ita Secretarij mercenarij gubernant universalem orbem Papalem. Nam Papa cum Cardinalibus in rebus temporalibus, tanquam longe majoris momenti, occupantur, Divina & Ecclesiastica parvi pendunt. Quibus nunc non tædio erunt hi Romani Antistites? deplorate Pontificios sub tali jugo adhuc onustos incidentes, & vobis gratulamini, quod per Dei gratiam ex illo Babylone exempti, Deo vestro libertime & Christiane vivere possitis.
καὶ τὰ τὰ δὴ μὲν τὰ

COROLLARIA.

Minus consentaneum est illud Clementis, Clem. lib. 2. tit. 9, de jure jurando. per Pontificem imperium translatum fuisse à Græcis ad Romanos. Est istud

C

Inno-

Innocentij III. quod in potestate
Apostolicæ sedis sit transferre Imper-
rium c. venerabilem de Elect. & Elect. potest.
ut inique defendit Bellarminus.

II.

Contra historicam fidem est , quod
Gratianus Decreti part. I dist. 96, c. 14 § Constan-
tinus, commemorat : Constantimum
M. Coronam omnemq; Regiam
dignitatem in urbe Roma, ac in par-
tibus Occidentalibus, Sylvestro Pa-
pæ concessisse.

III.

Jesuitæ falso & frustra negant , Papam
Johannem VII I. fuisse mulierem.

IV.

Jubileum Antichristianum s. Papisti-
cum , uti describitur in Extravag. com-
mun. l. V

mun. l. V. tit. 9. de penit. Et remiss. c. I. Antiquorum
item c. 2, unigenitus c. 4. quemadmodum
abominamur. sed potius Jubileum
Christianum tota vita celebramus.


TANTUM.



...naturam. Et. s. Dicitur ergo sicut est. Ut anima
...anatomiam. A. s. C. naturam. s. t. m. i.
musculus. I. s. d. o. c. r. n. i. m. o. d. s.
r. n. i. s. n. i. l. o. c. r. c. s. e. p. i. s. m. s.


M U T A T





mun. l. V. tit. g. de penit. Et regis
item c. 2, unigenitus Et. c.
abominamur. sed p
Christianum tota vita

TANTU



the scale towards document

antiquorum
modum.
bileum
amus.